

JESEN — AUTUMNUS

Autumnus patriis dulcibus en adest
arvis atque hiemis mox veniet quies
naturaeque vigor vivificus perit;
tectum terrigenae iam tepidum petunt.

Flavens caesaries decedit arbore,
non flores varii nunc decorant humum
nec mulcent volucres aethera cantibus,
migrarunt alio pennigeri greges.

Nunc sol non tepide nos fovet igneus,
dependunt nebulae, solliciti dies
apparent, Boreas flat per agros ferus.

Atqui tristitia non ego deprimar,
laeta in corde meo iubila personant,
abs te donec amor, virgo tenerrima.

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.